Theſ. 11.

Idem qvidem acidum minerale catholicum habet qvoqve Oen, ſed a terra petroſa, cui inhæret, admodum mitigatum, & tantum non in verſum, qvemadmodum ſpiritus iſti acerrimi ⦶li & 🜍is Terræ ſigillatæ, vel Cretæ affuſi, corrodendo corpora iſta in textura ſua valde immutantur, ut ſpicula ſua amittant, & ab antiqva aciditate longe recedant. Hinc etiam ſpiritus ex One parciſſimus, nec niſi exqviſito artificio, impetrari poteſt. Qvæ vero de ejusdem magiſterio liqvido, ſeu tota ejus ſubſtantia in liqvorem redigenda, & per alembicum deſtillanda, afferuntur a qvibusdam, experientiæ non reſpondent.

Theſ. 12.

Ita ſal commune, marinum & foſſile fiunt, qvando idem acidum minerale catholicum cum ⊖e alcalico concurrit; qvemadmodum ex unione ⌒us ⊖is cum ⊖e ♀ri vel ciner. clavell. ejusmodi ſalſum concretum emergit; Unde etiam in multis cum ⦶ro convenit, & præter ſpiritum acidum penetrantiſſimum, partes qvasdam alcalicas ſecum vehit, imo flores ammoniacales prodit; Ex qvo ſpiritus ejus præ cæteris gratus & eſurinus obſervatur; Ejusdem prorſus ſpeciei eſt, ſpiritus iſte, vulgo ⦶li philoſophicus dictus, ſaltem qvod a butyro ♁ii abſtrahatur, & propter ſubtilitatem inſtar ardentium ſtriatim per alembicum tranſeat. Huc etiam pertinet ſpiritus ⊖✱ci acidus, ſive ex nativo, ſive factitio ammoniaco paretur, licet pro diverſa tractatione plus minus ⊖is urinoſi retineat & ſpiritum potius acido-ſalſum conſtituat. Confer *Taken. Hippor. Chim. p. 66. Zwelff. Mant. Spag. p. 338.*

Theſ. 13.

Alii etiam ⊕ ſpiritum ad minerales referunt, ſed jam antea inſinuavimus, eundem, æqve ac e ſaccharo ♄, potius aceto deberi, licet etiam partes qvasdam metallicas, a ♀e arroſas, qvemadmodum ſpiritus ⦶li, in ſinu gerat. Sed chartæ anguſtia hic finem imperat.

S. D. G.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG